

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

gnosci cœpit, nec apud literatos duntaxat sed & laicos, qui persuasi sunt Paraclesi tua, ad omnes Christianos pertinere sacras literas. Nuper matronam auidi de lege & Evangelio ex Paulo ad Rom. doctius multo differentem, quam olim magni illi MAGISTRI nostri potuerint. Sic tu tanquam classico universum orbem ad Christi philosophiam excitasti: ad instaurandam theologiam natum te nihil dubitamus, pro in fato tuo obsequere, Augustinum atque Hilarium doctissima manu tua purgato, ut à veris adulterina dinoscamus, quod annis superioribus felicissime præstitisti in Hieronymo. Ecclesia Augustana, cui sesquiannum Christum prædicavi, pro te orat assidue, ad quam propediem revertar. Qui has tibi reddidit, nobilis est, tui ob raras ingenii dotes studiosissimus, etsi ipse indoctus, huic si vacat ad me vel verbum da perferendum. Vale Theologorum ac omnis eruditionis princeps. Ex Argona. 4. Januarii, Anno MDXXII.

Michael Hümelbergius, conterraneus meus te salutat millics.

XIII.

S. P. Nactus hunc, qui ait se venturum ad te, licet nihil daret temporis scribendi, volui tibi tamen per literas dicere salutem. Tua Apologia in nebulones Parisienses pervenit ad nos. Bone DEUS, quantum omnibus risum movet stulticia illorum Doctorum sine doctrina, qui ausi sint tam belle quærere nodum in scirpo! Tu igitur gaude, qui in portu navigas. Nam isticanes morderent, si possent. Nos bene valemus. Noster D. Morus nuper se abdicavit illo magno Magistratu, quem gerebat, ut sic se allevaret, & senectam ætatem quierius ageret. Fuit nuper nobiscum Bibelius, qui rem meam naviter curavit, illum docui de rebus meis & quemadmodum revocor in Italiam, quapropter quod toties scripsi tandem aliquando te visam, nam consulto id extraho, cum Erasmus non sit ante iturus ad campos Elysios, quam suum viderit Poly. Vale Londini, XIX. Junii, 1532.

T. Poly.

XIV.

S. Non est, ut verbis possim assequi, Doctiss. Erasme, quantam apud Principem Georgium, Saxonie Ducem, gratiam iniveris ista tua Hyperaspiste. Omnia enim inibi ex animi ipsius sententia ita in Lutherum scripta sunt, ut melius optari non